

ita, Cathedram, uel LUTHERI uestigiis
uenerabilem, nobiscum conscendis, atque spe-
cimen nunc edis, si paucissima excipiam, omne Tu-
um, eorum, quae sub tutis Ductoribus audiisti,
lectione multiuga et meditatione amplius corro-
borasti, fructum. Strigosa itaque, suaque ma-
cie enecta, fastidis merito, turpia illa, ac sine suc-
co, sceleta, uel ipsius Academiae famae inimica,
νεφέλας ἀνύδρους, uento cuius peruias. Vadem
praestare me ausim, si per aliquot adhuc annos
academicis uacare exercitationibus posses, ratio-
ne ac consilio, quo haecenus fecisti, non, quod in-
genia uulgaria solent, Te praestitutum esse.
Quod diuino itaque Tibi munere tributum est,
hoc Deus adaugeat indies, ut Patronorum expe-
ctationem ulterius sustineas, ad quaenus gloriosa
Deo, Ecclesiae salutaria, Tuis uero, Tibique ad
uotum commoda, feliciter ascendas. Redditus
sic urbium nostrarum Vrbi, faustorum, quae,
Deus semper elargiatur, consiliorum Parenti, Sa-
xoniae Reginae ac Dominae, Regio-Electorali
eminentiae Sedi, afflictorum Propugnaculo, Dres-
dae, Summis te Proceribus porro insinua, quibus
quoque nostram, amisso Collega optimo, orbita-
tem acerbam demisse et flebiliter commendo.

Vitembergae, ipsis Calend. Maii,
A. cIo Io CCXXXIX.

Coll. Miss. F. 138, 3-1